

Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM SECUNDA

DE SUMMO BONO.

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinboths

Altenburgô - Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem Februarii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

JOACHIMUS PETERS Lubec:

RostochI, Literis hæredum Richelianorum,

Anno CIↃ IↃC XXXVI.

BJ Bien. F. IV. 2 (2)

Cum Deo!

DISPUTATIO SECUNDA DE SUMMO BONO.

I.

Vidimus Prooemium, sequitur ipsa πραγματείαν, quæ â c. 4 l. 1. Eth. initium ducit & ad c. ultimum lib. 10. extenditur, cujus ab aliis alia capita constituuntur principalia. Nos Aristotelem κατὰ πόδα sequentes ex *l. 10. Eth. ad Nicom. c. 10* haud obscurè capita Ethicæ πραγματείας insignia posse colligi autumamus quando ita ait: ἆρ' οὖν περὶ τούτων καὶ τῶν ἀρετῶν, ἔτι δὲ καὶ φιλίας καὶ ἡδονῆς, ἱκανῶς εἴρηται τοῖς τύποις, τέλος ἔχειν οἰητέον τὴν προαίρεσιν; id est, Nunquid igitur si de his (egerat de Felicitate) & de Virtutibus. præterea etiam de amicitia & Voluptate satis dictum est, finem hoc nostrum propositum habebit?

2. Quo referri *& debet c. 6. ejusdem l. 10*: εἰρημένων δὲ, ait, τῶν περὶ τὰς ἀρετάς τε καὶ φιλίας καὶ ἡδονάς, λοιπὸν περὶ εὐδαιμονίας τύπῳ διελθεῖν, i. e. cum jam dictum sit de iis, quæ ad virtutes & amicitias & Voluptates spectant, reliquum est ut de Felicitate quoq; delineemus.

3. Initium πραγματείας à Summo Bono sumitur & absolvitur *c. 4. & seqq. usq; cap. 13. l. 1. Eth. & rursum in l. 10. â cap. 6. usq; ad caput ultimum.* Neq; immeritò. Cum enim finis rerum agendarum sit principium ex *c. 5. l. 6. Eth. & l. 2. c. 8. Eth.* quemadmodum in Mathematicis *αἱ ὑποθέσεις*, id est, suppositiones, nemini dubium esse potest Politicam etiam à principio, id est, Sumo Bono & Felicitate Civili inchoandam, uti Disp. 1. Th. 5. vidimus.

4. Dari Summum Bonum aliquod probaverat A. c. 1. & 2. lib. 1. & nos cum eo, breviter tamen prout ratio thesium concedebat. Ita autem colligit Philosophus: Si datur finis ultimus in

rebus ille est Summum Bonum. Atq; datur ultimus finis E. est etiam quoddem Summum Bonum.

5. Antecedens probatur. Nam si non ultimus finis concedendus esset, daretur progressus in infinitum (si enim unus finis est propter alium. Aut igitur in rebus humanis possumus devenire ad finem qui non propter alium est aut non. Si non habemus quod volumus. Si illud progressus in infinitũ sequitur.) à quo natura tanq; re impossibili abhorret. Conseq. probatur in Hypothesibus c.1 de quibus & nos in Disp. 1. Finis enim ultimus est ad quem reliqui, ipse autem tendit, ad nullum alium. Præsertim etiam cum infiniti nulla cognitio sit, secundum *t. 2 lib. 2. Meth. & t. 35. lib. 1. Φυς.* ac proinde nullum desiderium juxta vulgatum dictum: Quod latet ignotum est, ignoti nulla cupido. Inde etiam *lib.* 1. *de cœlo illud dicitur esse frustrà quod finem suum consequi nequit.* Latè & pulchrè de hoc agit Marsilius Ficinus ex Plat. Philebo. l. 1. Com. c. 2. imprimis autem Thomas l. 1. q. 1. a 4.

6. Dices non absurdum esse appetitum in impossibilia ferri, ut & in infinitum extendi & sic negari conseq. Nam & voluntas dicitur impossibilum l. 3. Eth. 2. ad Nic. quemadmodum etiam experientia id quod l. c. exempli loco ponitur videtur comprobare, cum multi homines immortalitatem expetant. Et certè avari sitim auri inexplebilem passim innuunt authores. Inde Horat. lib. 2. carm. od. 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops
Hoc sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

7. Quod idem videtur posse confirmari ex eo quod omnis finis sit bonum & objectum voluntatis. Atqui voluntas in infinitum potest se reflectere supra seipsum, potest enim v. g velle S. Bonum, potestq; velle se velle illud velle & sic consequenter.

8. Ad quorum dubiorum solutionem prænoto 1. *ex Scoto l. 2. dict. 6. q. 1. in resp. ad quæst. & Gabr. Vatzquetz 1. 2. D. 42. c. 3.* voluntatem esse *simplicem aliam sive efficacem,* quando ipsi ita propo-

propositum est id quod intendit consequi, ut nolit quicquam admittere, quo fine frustrari possit; aliam *complacentiæ sive cum conditione* quatenus nudè amat aliquid sine firmo proposito ipso fruendi.

9. Ad Impossibilia etiam voluntas bifariam se habere potest: 1. ut existimet quasi sint possibilia 2. ut sub cognitione impossibilium appetat, quæ observatio est præter citt. *Gabrielis Byelis*

10. Jam concedimus Impossibilium qua existimantur esse possibilia voluntatem etiam efficacem dâri, etiam quoad rem licitam (ut hac ratione Riccoboni f. 448 solutionem rejiciam) quomodo æger sanitatem, quæ in se per naturam recuperari nequit, appetit; & dumspirat, sperat; ideo & Medico & medicamentis utitur.

11. Concedimus etiam 2. Impossibilium quæ talia jndicantur, volnntatem esse complacentiæ, de quibus Aristotelem lib. c. locutum fatemur, uti ex exemplo apposito liquet, & ex oppositione, quam constituit inter lectionem & voluntatem. Asserit enim electionem non esse Impossibilium, ut si quis diceret ea se præeligere; stolidus esse videatur. At certè in possibilium quæ apprehenduntur tantum ut impossibilia potest esse electio, uti §. 11. vidimus.

12. Nos ergo concedimus ὄρεξιν etiam certâ ratione ductum posse esse impossibilium eo modo quo diximus, negamus tamen exinde sequi ὄρεξιν procedere εἰς ἄπειρον, ut fieri κενὴν καὶ ματαίαν. Hoc enim id quid impossibile est & possibile videtur non est ἄπειρον. Quando autem â progressu in infinitum natura ut re impossibili abhorrere. § 7. asserimus, impossibile id nobis est & quod est tale & videtur etiam. Ad hoc ni fallor respexit Acciaiolus quando dicit voluntatem cum electione non appetere finem post finem in infinitum.

13. In avaro negamus appetitum progredi in infinitum actu scilicet quod Aristoteles jure reicit. Semper enim dives certum finem divitias acquirendi sibi promittit, quo accquisito ulterius pergit, non aliter ac ad datam quamcumq; summam in Arithmeticis

 nume-

numerum addere non est absonum. Hoc enim si infiniti nomine dignari deberet, infinitum potentiâ nominandum est, quod dari minimè repugnat.

14. Ad argumentum § 7. rectè respondet Thomas l. c. ex quo breviter summam responsionis petimus: Scil. quando Aristot. negat l. 2. Met. 2. & h. l. in finibus non dari progressum in infinitum, loquitur de iis finibus qui aliquem ordinem inter se habent & qui sunt per se ad invicem connexi. In finibus autem qui per accidens connectuntur nihil impedit, quo minus ratio possit in infinitum procedere, (causæ enim per accidens sunt indeterminatæ) non aliter ac numero dato cuicunq; potest addi alia unitas.

15. Evictum dedimus cum Philosopho dari Finem ultimum rerum agendarũ, quem A. εὐδαιμονίαν vocat c. 4. Restat ut penitius in ejus naturam præceptorem secuti inquiramus. Et cum controvertentium argumentis, rationes contrariæ demonstrantur l. 1. Eth. Eudem. c. 3. ante omnia veterum opiniones examinat. Illasq; non omnes; has enim persequi supervacaneum censet, l. c & fortasse stultũ l. 1 Eth 4; sed potissimas τὰς μάλιστα ἐπιπολαζούσας ex præcipuis vitæ generibus (de quibus aliàs Plato in Philebo) ut alios in voluptate, alios in honore, alios in divitiis, alios in virtute, alios deniq; in Idea posuisse asserat. Aliàs enim plures opiniones Philosophos recenseri *ex Cic. l. 2. de Finibus August. l. 19 de C. D. c. 1. Riccobono f. 458. & Guevara in tr. de Conviviis & compotationibus* colligitur, quemadmodum etiam M. *Varro in l. de Philosophia* ex varietate finis 288. sectas collegit, non quæ jam essent sed quæ esse possent.

16. Possemus ordine cum Philosopho nostro absurditatem prœdictarum sententiarum demonstrare ut & illud contra *Marsilium, Ficinum Comm. in Philebum & passim, Plotinum* ex ipso Platone ostendere eandem fuisse divini præceptoris mentem quam ipsi noster Stagirita tribuit, neq; Platonicorum hoc commentum uti eruditus Camerarius in Comment. Ethic. & Acciaiolus autumat, sed ipsius Platonis fuisse. Quia tamen thesium ratio jam habenda est, auditores ad Hornejum & alios remittimus, qui diffusissimè

ſiſsimè hæc perſequitur ; (De poſteriori enim alibi agemus.) & ſtatim nos ad ipſam rationem formalem Summi Boni confe- rimus.

17. Poſtquam Philoſophus noſter c. 4. 5. & 6 alias de Summo Bono opiniones refutarat, & c. 7. ex quibusdam proprietatibus & à poſteriori delineaverat, eodem cap. ad definitionem ſeſe confert & evidenter § 3. declarat, ut oſtendat eſſe ἐνέργειαν §. 3. τῆς ψυχῆς § 4. λογικῆς § 4. κατὰ τὴν ἀρετὴν καὶ πλείους τὴν § 6. ἀρίστην ; 5. ἐν βίῳ τελείῳ §. 7. Hæc enim omnia ad περιγραφὴν ſpectare & ex connexione & ex more Ar. l. 4 Φυς, l. 2. de anima l de Interp., nec non ex aliis locis c. 10. l. 1 M. M. l. 10 Eth c 7. & l. 2. Eudem. c. 1 ubi de eadem definitione agit, in quo poſtremo loco poſtquam dixerat Felicitatem eſſe ſecundũ perfectam virtutem adjicit. *Atq; & genus definitionem rectè conſtitutam eſſe, &c.* Idem ex §. 8. ſubſequenti expreſsè apparet, ubi poſt expoſitarum conditionum loco differentiæ poſitarum enumerationem ſubjungit. περιγεγράφθω μὲν οὖν τὸ ἀγαθὸν ταύτῃ Circumſcriptum igitur ſit Bonum hunc in modum.

18. Primò dicitur ἐνέργεια, quæ h. l. operationem & actum ſecundum notat (non enim ſemper hanc ſignificationẽ ei convenire rectè oſtendit. *Joh Baptiſta Monlorius tr de Entelechia & evincit locus l. 8. Met. c. 2.* cum l. 5. Met. c. 5. l. 9 Met. c. 3. & lib. 4. Eth. c. 5.) quæ vox ſine dubio poſita eſt ad excludendum habitum in quo formaliter Summum Bonum Stoici & præcipuè Zeno *teſte Cic.* ſub finem qq. Acad collocabant, quibus aſſentit doctiſsimus *Plotinus Enneade 1 l. 4. q. 10.* cujus argumenta ex *Alexandro Aphrodiſæo* eruditẽ ſolvit *Horneius lib. 1. c. 7. n. 8. & ſeqq.*

19. *Richard. 4. diſt. 49. a. 1. q. 4.* h m probat: Finis præſtat iis quæ ſunt ad finem. Habitus a. & omnis actus primus ordinatur ad operationẽ & ad actum ſecundum tanquam ad finem. Ergò operatio & actus ſecundus præſtat actu primo & habitu. Cum ergo beatitudo noſtra debeat eſſe perfectiſsimus actus, efficitur, eam debere eſſe operationem non autem habitum ſeu actum primum.

19 Ve-

19. Verùm hæc ratio quam etiam multi alii urgent rectè à Gabriele *Vatzquetz* 1. 2. *D. 8. q. 3. n. 13.* refutatur. Nam ex ea & sequeretur 1. ipsam substantiam minus perfectam esse operatione accidente, siquidem substantia ad operationem ordinem habet 2. causam efficientem deteriorem esse suo effectu, ad quem illa refertur, quod itidem absurdum. Causa enim æquivoca semper perfectior est suo effectu ad quem ordinem habet.

20. Id autem quod *Richardus* asserit finem scil. præstare iis quæ sunt ad finem intelligenda hoc modo vult Gabriel, ut media quæ assumuntur ad consecutionem alicujus tanq; finis, sint minus perfecta ipso fine resp. ipsius appetentis, de quo nullus hactenus dubitavit, quia quæ assumuntur ad finem, non assumuntur ut gratiâ sui appetibilia. Ex hoc tamen non fit, ut causa quæ refertur ad effectum sit secundum se minus nobilis ipso effectu.

21. Rectius *Vatzquetz ex Thoma l. c. q. 3. a. 2.* contra Stoicos & ex parte Platonicos assertionem ex natura operationis deducit. Ultima enim nostra perfectio est operatio quam vocamus actum secundum. Atqui S. Bonum seu beatitudo civilis ultima est nostra perfectio. E. Summum Bonum est operatio. Non dicit maximam nostram perfectionem, sed ultimam nostram perfectionem, postquam nihil aliud superest quod ad nostram perfectionem pertineat. Nam ex duobus quibus natura nostra perficitur, nempè ex actu primo, qui est forma seu habitus & ex actu secundo qui est operatio ultima actus, est operatio, quæ etiam ultimò perficit naturam.

22. Ut autem hæc ita sese habeant, & argumentum Richardi solidè evertant, Aristotelisq; sententiam acutè probent, attamen ut ingenuè dicam quod res est, non mihi videtur quod Vatzquetz alias in Aristotele & Thoma versatissimus mentem Aristotelis (de hoc enim brevitatis tantum hoc loco agere possumus) assecutus fuerit. Non ipsi enim propositum est ex τῷ ultimo probare Felicitatem æstimandam esse, ita enim Stoici facilè respondere potuissent, & asserere se non tam ultimum finem quam præstantissimum intendere, sed ex τῷ Bono uti expressè *l. 1. Eth. c. 7. §. 3.*

omni-

omninò quorum est opus aliquod & actio in opere videtur Bonum & illud quod bene est consistere. Et *l. 7. Pol. c. 3.* cum ostendere vellet & vitam privatam & publicam activam esse debere, infert: quod optimum est id nobis adsciscere debemus. τὸ δ' εὖ πράττειν ἄριστον Optimum autem est benè agere.

23. Clarior locus *l. 2. Eth. Eudem. c. 1.* est, quem, utpote non solum præsentem nostram controversiam sed & totam hanc Disputationem declarantem apponere placet. *Quemadmodum enim vesti & opus aliquod & usum aßignamus, præstantißimumque ejus habitum virtutem dicimus: Sic & de animo sentiendum. Est enim aliquod ejus opus præstantiorumq; habitus præstantius opus, & ut sese habitus ad invicem, ita actiones ab ipsis profectæ habent ad opus uniuscujusq; finis. Unde manifestum est, opus habitu præstare: finis enim, quà finis, utiq; excellentißimus est, quando & suprà concessum finem, & ultimum, & optimum esse, utpote cujus gratia cuncta fiant. Patet igitur opus habitum, dispositionemq; excellere.*

24. Breviùs *l. 1. Magn. Moral. c. 3.* hanc rem proponit h.m. *Quorum usus & habitus est, semper melior & optabilior eorum est usus habitu. Usus enim & actio finis cum sit, propter usum ipse habitus est. Jam cum virtutis & actus & habitus sit, certè actus sive operatio præstantior erit.* Scio alia argumenta etiam à viris doctissimis afferri, sed quæ Stoicis vix satis facient; de quibus tamen alibi.

Dices 1. si Summum B. consisteret in actione non esset ultimus rerum agendarum finis. Posterius est absurdũ, ut in prima parte Disp. ostensum E. & posterius. Conseq probatur. Quicquid est actio habet alium ulteriorem finem ad quem ordinatur. Omnis enim actio est propter finem. Atqui S. B. non ordinatur ad alium, finem, alias non esset ultimus finis. E.

25. 2. Si operatione virtutis finis adhuc est ulterior sequitur quod Summum B. non sit operatio. Propter illud enim omnes fines debent esse, hoc autem propter nullum alium *l. 1. Eth. c. 2 §. 1.* Atqui operatione virtutis finis adhuc est ulterior. E. Minor probatur 1. quod perfectio hominis sit finis ad quam Summum Bonum

D num

nium ordinatur. Ideo enim homo Summum Bonum appetit, ut Summo Bono perficiatur. 2. à Stoicis quod operatio virtutis sit propter affectus moderandos & extirpandos, ideò enim virtuosè agimus ne affectus nobis insultent.

26. Ad 1. alii respondent negando Consequentiam, & in probatione ad Minorem dicunt, actionem vel esse ob finem sequentem vel inclusam, qualis est Felicitas, quæ responsio ferè eadem cum est quam habet Benedictus Pererius *l. 9. c. 6.* qui tria excipit, ut universalitatem triti illius axiomatis, *Omnis actio est propter finem*, restringat. Potest, *inquit*, dici aliqua actio non fieri propter finem tribus modis vel quia ipsa est propter se & non propter aliud, ut actio in qua est felicitas, quæ ipsa est finis omnium moralium actionum, ut disputat *Arist. l. 1. Eth.* vel quia fit ab agente non intendente ipsam, ut si quis aliud attentè cogitans vel ungues rodat vel fricet barbam, hujusmodi enim actiones non fiunt ex electione & aliquem finem, sed ex sola imaginatione: vel quia talis actio est conjuncta & accidit ei actioni, quæ per se intenditur, ut inventio thesauri accidit fossioni terræ, & sic effectus fortunæ non fit ob aliquem.

27. Ad 2. negamus Minorem, ad pro syllogismum vero primum dicimus ex *Arist 2. Φυς. t. 23. & l. 2. de anim. t. 35 & 37.* Finem esse duplicem, alius est Finis Qui, alius est Finis Cui. Finis qui est ipsa res quæ acquiritur, ut albedo vel caliditas acquiritur ab homine & de tali fine agens Philosophus asserit Felicitatem esse ultimum finium qui acquiruntur. Finis verò cui est finis cujus gratiâ sive cui acquiritur & hoc loco est ipse homo, qui felicitate hac perficitur. Concedimus ergò Summi Boni operationem expeti propter hominem tanquam finem cui, qui h. l. attendi minimè debet.

28. Alterum eruditè solvit *Alexander Aphrodisæus l. 4. Moral. qq. c. 24.* cujus responsio eò redit, propriè loquendo operationem virtutis non fieri propter affectus moderandos. Ipsa enim virtutis operatio affectuum est moderatio, non aliter ac albedo est ratio per quam subjectum est album & non nigrum.

29. Addi-

29. Additur in definitione ψυχῆς λογικῆς. Quia enim humanum Bonum inquirebat Stagirita, subjectum etiam proprium adjicere debebat, ex cujus προσθέσει accidentia definiri ex *l. 7. Metaph.* notum est, Inde §. *4. c. 7. l. 1. Eth: Etenim vivere commune esse apparet etiam plantis. Quaeritur autem proprium. Separanda est igitur nutriendi & augendi vita. Consequitur verò quaedam, quae dicitur sentiendi. At apparet etiam ipsam communem esse & equo & bovi & omni animali. Jam ergo relinquitur quaedam quae in agendo versatur ejus ipsius quod ratione utitur.*

30. Dices Actiones & operationes esse suppositorum *Fons. l. 1. Met. q. 5. sect. 3.* Atqui anima non est suppositum est enim incompletum, quod repugnat supposito E. animae non est operatio & per consequens malè exposita est definitio praesens, contra quam etiam facere videtur t. 65. l. 1. de anima qui actionem animae denegat.

31. *Riccobonus f. 48. existimat*, Aristotelem considerare agens totum & adaequatum, hoc autem in loco principium principale & actionis & rectitudinis. Huuc sequitur etiam Hieron. Praetorius quem honoris causa meritò nomino qui ex Riccobono Majorem de agente toto & adaequato intelligit,

32. Non malè etiam alii respondent (actiones enim posse esse agentis adaequati & totius, non tamen suppositi anima separata evincit) & distinguunt inter principium Quod actionis & principium QUO. Principium quod vocant à quo ita dependet actio, ut sumpta in casu recto ab ea denominari possit. Principium QUO vero dicitur, cum quo sumpto in casu obliquo connectitur denominativum ab actione προσηγορίαν habens, Loquitur Major de principio QUOD quomodo Aristoteles rectè *t. 64. lib. 1. de anim.* infert. *Dicere animam irasci vel timere simile est atque si quis dicat, animam texere vel aedificare. Nam melius est fortassè dicere, non animam sed hominem animâ misereri vel discere vel rationari, & t. 65. non animam sed hominem per animam sentire & intelligere.* Aliàs enim animae tanquam principio quo, qua ratione etiam h. l. debet intelligi, operationem tribuit *t. 1. l. 3. de anima: De particula animae qua*

anima intelligit &c. c. 4. Intelligentiam intelligere. Idem asserit Scotus l. 1. sent. dist. 23. & ex eo Joh. de Rada p. 1. controv. 22. a. 1. & p. 3. controv. 4. a. 3.

33. Sequitur in definitione κατ᾽ ἀρετὴν secundum virtutem. Potest enim aliquis agere cum ratione ut tamen non agat secundum virtutem veluti à casu, vel coactione. Item utilitatis tantum non honestatis gratiâ vel alio ducente & impellente.

34. Additur secundum optimam & perfectissimam. Quæ voces quid sibi velint intricatissimum est. Eustratius prudentiam hoc loco intelligit cui ne facere videamur injuriam verba ejus apponere lubet ex Comm. in h. l. ἐπειδὴ τὴν εὐδαιμονίαν κατ᾽ ἀρετὴν τῆς ψυχῆς ἐνέργειαν ἀποδέδωκεν, ἑνικῶς τὴν ἀρετὴν ἐκλαβών, οὐ μία δ᾽ ἐστιν, ἀλλὰ πλείους αἱ ἀρεταί, διὰ τοῦτο ταῦτα προσέθηκε τῇ ὁρίσει τῶν ἀρετῶν, καὶ τῇ κατ᾽ αὐτὴν ἐνεργείᾳ ἀπονέμων τὸ εὖ. αὕτη δ᾽ ἂν εἴη φρόνησις, ἥ τοῦ λογιστικοῦ τῆς ψυχῆς ἐστὶν ἀρετή. τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τῶν μερῶν αὐτῆς τὸ ἐξαίρετον. προϊστάμενον μὲν τῶν ὑφειμένων καὶ κατορθοῦν καὶ μετ᾽ αὐτῶν τὸ προσήκοντα: ἐνεργοῦν δὲ καὶ καθ᾽ ἑαυτὸ τὰ οἰκεῖα καὶ μὴ ἀποπῖπτον τοῦ δέοντος. Hoc est: *Cum felicitatem definierit actionem animi secundum virtutem, singulari numero accepta virtute; non autem una sit virtus sed plures sint; ea propter hæc adjecit & optimæ virtuti & secundum ipsam operationi attribuit. Hæc autem prudentia erit; quæ ejus animæ partis est virtus quæ Logistica dicitur. Hæc autem ejus partium singularis est, quæ inferioribus præest quidem & cum illis convenientia peragit: per se autem etiam propria præstat nec ab officio deflectit.*

35. Idem statuunt *Acciaiolus, VVegelinus* qui male Anonymū suum citat neq, fideliter eum explicat, & alii qui ideò etiam Platonem adducunt *in Menone ubi Socrates f. 220.* in hæc erumpit verba: πάντα τὰ τῆς ψυχῆς ἐπιχειρήματα καὶ καρτερήματα ἡγουμένης φρονήσεως εἰς εὐδαιμονίαν τελευτᾷ. hoc est, *omnes animi impetus, viresq; prudentiâ duce ad Beatitudinem tendunt.* Ex quibus Platonem prudentiam pro Summo Bono ponere divinantur.

λισαι

37. Alii sapientiam intelligunt. Hæc enim videtur μάλιστα ἀρχιτεκτονικὴ l. 1. Met. c. 2. κυρία l. 1. post c. 7. t. 23. θειοτάτη καὶ τιμιωτάτη l. 4. Met. c. 25. ἐπιστήμη κεφαλὴν ἔχουσα l. 6. Eth. c. 7. pro qua etiam *Platonem in Eudemo f.175. citant*: ἡ σοφία, inquientē, πανταχοῦ εὐτυχεῖν ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους, id est, *Sapientia omnes homines beatos reddit.*

36. Nonnulli Justitiam ducti loco *lib. 5. Eth. cap.* 1. §. 9. ubi τελείαν ἀρετὴν ipsam vocat & §. 9. πολλάκις κρατίστην τῶν ἀρετῶν καὶ οὔθ᾽ ἕσπερος, οὔθ᾽ ἑῷος οὕτω θαυμαστός *perfectissimã virtutem quâ neq; Hesperus neq; Lucifer ita admirabilis.*

73. *Nicolaus Dorbellus* existimat virtutem præstantissimam abstractè consideratam hic poni, ut in *tractatu 2. lib. 1. Ethic.* dicat Aristotelem in communi hîc egisse de Summo Bono tùm se habente ad Theoreticum quàm practicum. Hunc ingeniosum & felicem Arist. interpretem sequitur Fr. Piccolomineus *l. 9. c. 26. & 28.*

38. Eruditè olim hac de re nostro judicio locutus fuit *Michael Ephesius citante VVegelino* cujus explicatio cum & Aristoteli & nostræ sententiæ multum lucis afferre possit, verba ex *Comm. super lib. 5. Eth. cap. 3. asscribere placet*; Τελείως, inquit, ἡ τελεία ἀρετὴ λέγεται. λέγεται γὰρ τελεία ἀρετὴ καὶ ἡ ἀνδρεία μόνη ἡ ἠθική, ἡ μετὰ φρονήσεως καὶ ὀρθοῦ λόγου ὑπομονητικὴ τῶν μεγίστων ἐν τοῖς πολέμοις κινδύνων. Λέγεται δὲ τελεία αὕτη ἡ ἀνδρεία πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς φυσικῆς ἀνδρείας, καθ᾽ ἣν φυσικὴν ἀνδρείαν ὁ Ἀχιλλεὺς ἀνδρεῖος ἐλέγετο. Λέγεται πάλιν τελεία ἀρετὴ τὸ ἐκ πασῶν τῶν ἀρετῶν ἄθροισμα: ἥτις ἁπλῶς ἀρετὴ λέγεται καὶ μόνως ἀρετὴ τελεία. Λέγεται δὲ ἀρετὴ τελεία καὶ ἡ κατὰ τὴν νομιμότητα, περὶ ἧς νῦν λέγει: ἥτις μὲν οὖν αὐτή ἐστι τῇ ἐκ πασῶν ἀρετῶν οὔσῃ, ὡς προϊὼν ἐρεῖ. Διαφέρουσι δὲ ὅτι ἡ μὲν προτέρα ὡς ἕξις ψυχῆς ἁπλῶς θεωρεῖται: ἡ δὲ κατὰ τὴν νομι-

μότη-

μότητα, ἥτις ἡ δικαιοσύνη λέγεται, ἐν τῇ πρὸς ἕτερον χρήσει κρίνεται. ἡ γὰρ κατὰ πάσας τὰς ἀρετὰς ἐνέργεια ἐπὶ σωτηρίᾳ γινομένη τῆς πολιτικῆς κοινωνίας, ἐστὶν ἡ νῦν λεγομένη τελεία μὲν ἀρετή. ἀλλ' οὐχ ἁπλῶς· ἀλλ' ὡς πρὸς ἕτερον; ἤτοι πρὸς τὸ διαμένειν καὶ διασώζεσθαι τὸ πολίτευμα.

39. Quod ita haud incongruè redditur. *Perfecta virtus tribus modis dicitur. Dicitur enim perfecta virtus sola etiam fortitudo Moralis, quæ cum prudentia & recta ratione maxima in bellis sustinet pericula. Dicitur autem hæc fortitudo perfecta ad distinctionem fortitudis naturalis secundum quam naturalem fortitudinem Achilles fortis dicebatur. Iterum perfecta virtus dicitur ex omnibus virtutibus collectio, quæ etiam simpliciter virtus & solum perfecta virtus dicitur. Insuper perfecta virtus dicitur ea, quę in legum studio & obedientia versatur, de qua nunc dicet: quæ quidem veluti eadem est cum ea quæ ex omnibus est virtutibus, ut in progressu dicet: sed tamen eo differunt quod prior ut habitus animi simpliciter consideratur, quæ in legum observantia versatur virtus quæ etiam Justitia dicitur, usu erga alterum judicatur. Etenim operatio secundum omnem virtutem conservandæ civilis gratia communicationis præstita, hæc ipsa de qua modo dictum perfecta virtus est; non tamen simpliciter, sed ut in resp. ad alterum nempè ad permansionem & conservationem Civilis conversationis consideratur.*

40. Quibus nihil clarius dici potuisset pro explicatione particulæ nostræ, quod tamen eruditissimus hic Græcus non ex proprio cerebro hausit sed ex loco clarissimo l. 5 Eth. c. 1. ubi explicat quidnam perfectam virtutem vocet simpliciter nim. ὅλην ἀρετὴν § 11. Licet enim Justitia sit perfecta virtus ὅτι τῆς τελείας ἀρετῆς χρῆσις ἐστι, §. 10. nō tamen est ἁπλῶς τελεία, ἀλλὰ πρὸς ἕτερον *§. 9. est quidem perfecta virtus sed non simpliciter verum ad alterum. Differt enim ab universa quæ simpliciter perfecta* κατὰ τὸ εἶναι (quid quod sit infrà explicabimus) ἐστι μὲν γὰρ ἡ αὐτή. τὸ δ' εἶναι οὐ τὸ αὐτό. *Utraq; quidem eadem est sed utriusq; ratio non est eadem § ult. c. 1.*

41. Ex

41\. Ex quo loco apparet Aristotelem inter se conferre virtutem universam & Justitiam (Universalem tamen uti constat ex toto hoc capite quæ distinguitur ab ea quæ est ἐν μέρει c. 2. § 1.) nec non perfectam virtutem simpliciter & ad alterum, ita ut quidem virtus universa sit virtus simpliciter & justitia virtus ex usu & ad alterum. Et perfecta virtus absolutè & simpliciter virtus ὅλη: perfecte autem ad alterum & in in usu Justitia. Videatur c. 34. l. 1. Magn, Moral, ut & c. 4.

42\. Et ut omni subterfugio locus occludatur hoc ipsum, quod ex A. jam diximus, manifestissimè ex l. 2. Eth. c. 1. demonstrabimus qui locus ideò debet magni æstimari quod in propria sede rem eodem quo nos diximus modo explicet. Jam ibidem Aristoteles intendit essentiam Felicitatis declarare & quod sit præstantissimum bonum & perfectissimum. Præstantissimum ex parte actus, perfectissimum ex parte virtutis. Perfectam autem virtutem ὅλην ib. dicit. Cum enim dixisset & vitam & virtutem quæ vel ὅλη vel particula, perfectam & imperfectam esse, concludit, cum imperfectorum imperfecta etiam operatio sit, virtutem etiam perfectam id est totam debere intelligi.

43\. Manifestissimus in super locus l. 7. Pol. c. 13. extat ex quo hoc extruimus argumentum: secundum quod maximè contingit εὐδαιμονεῖν πόλιν in illo vel illud ἐνέργεια καὶ χρῆσις est ἀρετῆς τελεία. Atqui secundum virtutem ὅλην seu universam id est secundum omnium virtutum complexionem & concursum beata redditur civitas & civitatis gubernatio E in virtute ὅλη vel virtus universa est operatio illa virtutis perfecta & usus.

44\. Major patet ex illis verbis: Cum autem propositum nobis sit optimam Rempublicam videre &c. quæ Disp 1. § 3. citavimus. Minor vero quando subjungitur. *Diximus autem in Ethicis operationem esse & usum virtutis perfectum, & hunc non ex suppositi-*

positione, sed simpliciter. Dico simpliciter τὰ κολάζειν *veluti circa res justas punire, supplicio afficere &c.*

45. Hanc nostram sententiam habet etiam *Anonymus* ille Interpres Græcus studio Wegelini olim editus in explicatione definitionis Aristot. *l. 1. de Virtute c. 26.* malè tamen pro sua sententiâ Wegelino citatus, cujus verba, cum in paucorũ manibus sint, describere cogimur: Ἀρετὴ, inquit, τελεία, ἡ ὁλότης τῶν ἀρετῶν. ὁ γὰρ εἰς τὴν τοιαύτην εὐζωΐαν καὶ μακαριότητα πεφθακὼς, ἐνεργήσει κατὰ πάσας τὰς ἀρετὰς ἐν ἡδονῇ θαυμαστῇ, διὰ βίου παντὸς. μεμνημένος γὰρ τῶν δι' ἀρετὴν κόπων καὶ πόνων αὐτοῦ, καὶ ἧς δι' αὐτῶν τετύχηκε διαγωγῆς ἐνθείας χρηστότητος, ὅσων τε καὶ οἵων ἐπάθλων διὰ δεσποτικὸν ἔλεον ἐσύστερον τεύξεται: θυμηρεστάτην εἰλικρινῶς τὴν ὅλην ἕξει ζωὴν, κἄν τι τῶν ἐν βίῳ δυσχερῶν ἐπισυμβαίνῃ, καὶ πάλιν ἐν προσθήκῃ καὶ τοῦτο γένοιτ' ἂν αὐτῷ τῆς ἀγαλλιάσεως. Προσεχῶν δὲ φάμενοι κατὰ πάσας τὰς ἀρετὰς ἐνεργεῖν τὸν μακάριον, ἐνέργειάν τε τὴν μακαριότητα κατὰ πᾶσαν εἰρηκότες εἶναι τὴν ἀρετήν. Idem quod diximus sentit Obertus Giphanius in Comm. suo doctissimo super *l. 1. Eth. c. 7.* qui Aspasio meritò multùm in hujus rei expositione debet.

46. Constat proinde non unam quandam virtutem specialem hîc notari sed omnes omninò, quas Aristoteles ἀρετὴν ὅλην virtutem universam appellat, uti vidimus.

47. Verum enimvero cum impossibile ferè sit in hac mortalitate ita connecti virtutes, ut una posita omnes in gradu perfecto completo ponantur, virtutis perfectæ notio non secundum eum rigorem accipienda est, prout ratione complementi ista undiquaq; sincera est & absolutè perfecta. Talis enim virtus & secundum talem virtutem beatitudo pro ratione hujus vitæ & imbecillitatis humanæ in his terris contingere vix cuiquam potest. Summum Bonum autem nostrum ejusmodi esse oportet quod ho-

minis studio ac industria comparari potest, *vid. Arist. l. 1 Eth. c. 10. in fine. & Hippodamum Thyrium Pythagoreum apud Homejum lib. 1. c. 8. n. 11.* Sufficit igitur cæterarum virtutum inchoatio & inchoatum affectuum moderamen.

48. Ubi non incommodè quæri solet annе etiam Theoreticæ virtutes sub perfecta virtute contineantur cujus affirmativam Aristotelem propugnare omnes ex *l. 10 Eth. cap. 7.* demonstrant ubi postquã Philosophus eam, de qua jam agimus, definitionẽ repetiisset, expresse θεωρητικὴν κρατίςην vocat § 3. *quam dicit vel esse mentem vel aliud quippiam quod scilicet secundum naturam principatum videtur obtinere & præsidere & ἔννοιαν habere honestorum & divinorum sive divinum sit etiam ipsum, sive eorum quæ in nobis sunt divinissimum.*

49. Quod idem haud obscurè etiam ex eo deducimus quod Aristoteles statim post expositionem Summi Boni ab ipso traditam virtutum divisionem in Intellectuales & Morales subjungat quod sine dubio non fecisset nisi utriusq; in Summo Bono rationem habuisset *V. l. 1. Magn. Moral. c 4. l. 2. Eth. Eudem. c. 1. & lib. 1. Eth. Nic. c. ult. §. 1. & ult. l. 2 c. 1.*

50. Huc etiam potest referri in § *2. c. 8. lib. 1. Eth. Nic.* assignatus consensus cum veteribus qui vel virtutem, vel prudentiam vel sapientiam dixerant § cit. cum quibus suam consonare orationem asserit l. c. quia est actus ex virtute.

51. Manifestissimus etiam locus est *cap. 12.* § 2. in quo Diis (ex vulgi opinione loquitur, aliàs unum Deum ex propria sententia propugnat) εὐδαιμονίαν tribuit, quam tribuere non posset nisi Theoreticas virtutes quoq; comprehendisset, Morales enim actu iis adimere, caput 8. l. 10. Eth. testatur. *Perfectam autem felicitatem esse quendam actum in contemplando etiam hinc perspici potest, quod Deos censemus maximè beatos & felices esse: actiones autem quales ipsis*

 tribuere

tribuere opus est? utrum justas? (morales sc. quæ in commutando maximè consistunt) an ridiculi videbuntur permutantes & deposita reddentes & quæcunq; alia talia? nunquid fortes quod sustineant terribilia? &c.

52. Prudentiam itaq; & Sapientiam, ut & Justitiam minimè à generali Summi Boni definitione excludendas esse autumamus quod § 27. & 28 poscebant. neq; Platonem adversari nostræ sententiæ existimamus. Quamvis enim sui vix constet, tamen in l. 1. de Rep. in fine ita loquitur, ut ipsam nostram sententiam ex posuisse videatur.

53. Claudit definitionem Summi Boni Vita perfecta, in cujus proprietate eruenda mirè se torquet Mirandulanus l. 40 Evers. Nos dupliciter vitam perfectam judicamus: 1. ratione ætatis. Sum̄um Bonum enim in pueros cadere nequit. 2. ratione durationis; longo enim usu acquiritur nec non constantia in agendo, ubi longum tempus non potest non intercedere, requiritur. Quo ipso respondetur ad argumentum quod communiter h. l. solet objici: Illud quod totum simul acquiritur non indiget tempore, non aliter ac forma substantialis quę in generatione acquiritur in instanti acquiritur & in indivisibili consistit. Atqui Summum Bonum acquiritur totum simul E. Minor probatur, quia felicitas est tota simul. Nam quando homo per multas operationes virtutis acquisivit habitum operandi facilè secundum omnes virtutes, ille est felix & statim in tempore vel puncto indivisibili acquirit felicitatem. Nam si ipsa acquireretur per partes, nemo unquā esset felix cum operationes nō permaneant. Itaq; acquisitis virtutibus tota simul erit felicitas in instanti & momento. Nam com̄ittitur in eo Fallacia figurę dictionis & ex parte etiam Ignorationis Elenchi. Vitam enim perfectam S. Bono non tribuit Arist., quasi forma ultima S. Bonum in esse Summi Boni constituens tempus exigat, sed quod tempus requiratur & vita perfecta, antequam illa forma actu adesse possit. Aliter & prolixè respondet Acciajolus in Comm. qui potest legi.

54. U-

54. Utramq; §. 53 expositionem habet A. Priorem *lib. 1. Eth. c. 3. §. 3. Hac eadem de causa, inquit, nec puer quidem felix est: nondum enim est ad agendum talia idoneus propter ætatem. Qui verò dicuntur felices propter spem dicuntur. Opus enim est & perfecta virtute & vita perfecta.* Posteriorem h. l. *ubi* §. 3 *addit: Una enim hirundo non efficit ver; neq; una dies: sic nec una quidem dies neq; parvum tempus beatum & felicem.* Utramq; vero conjugit *lib. 1. Magn. Moral. c. 4. Cum felicitas sit bonum perfectum ac finis nos latere non debet, id in ætate perfecta esse: non enim in puero quia puer felix dici non potest: sed in viro, is namq; perfectus est: & ne in tempore quidem imperfecto sed perfecto: ac perfectum fuerit utiq; tempus, quamdiu homo vivere poterit, rectè namq; à multis dicitur felicem in longissimo vitæ tempore esse judicandum, ut oporteat perfectum esse & in tempore perfecto & in homine.*

55. Neq; obstat his quæ diximus illud quod Philosophus alibi habet non magis esse album unius diei quàm quòd aliquot seculis tale fuerit. Nam perfectio alicujus rei potest melior intelligi dupliciter vel intensivè vel extensivè. Priori modo rectè locutus fuit in objectione: posteriori autem modo h. l. ut §. anteced. dictum fuit.

Additamenta.

1. *Philosophia quatenus sumitur pro habitu ex Sapientia & Prudentia constante, non est Ens.*
2. *Bona externa ad essentiam Summi Boni non spectant.*
3. *Summum Bonum est in genere bonorum honorabilium.*
4. *Voluptas est consequens Summi Boni.*
5. *Ancillæ non sunt Virgines.*
6. *An Studioso liceat gerere gladium? Aff.*
7. *An amicitia inter pocula contracta sit firma? Neg.*
8. *An verum sit quod vulgò dicitur:* Juristen/ böse Christen. *Simpliciter falsum est.*

Epigramma Anagrammaticum Bijuge,

Quod

Præstantissimo

Dn: Respondenti

Consalino & Amico meo jucundiss.

scribebam.

Joachimus Peters,

1. Meus hic artes pio.
2. Ipse huic serta meo. insert e.

CYnthius excelsæ prodiens à vertice Cyrrhæ
Castalio gestit fonte lavare manus.
Obviat huic Petri Joachimus, & ipse Capillos
discupiens sacro fonte rigare suos.
Pieridum Princeps conatum & cœtera laudat,
pergat & in studiis gnaviter inde monet,
Ad Musas conversus ait: *Meus hic meus artes*
semper amat, Zelo prosequiturq; *pio*
Hinc exsurget honos, hinc laus & gloria surget,
Ipse huic cultori *serta* parabo *meo*.

Gratulante mente & manu

Joannes Goes.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0025083

129.